

num instar, praeterea nominibus ac rebus Graecis Latinisque commune et in quo, quod maxime studebat, Romanae simul urbis et Augusti origo contineretur. cum georgica scriberet, traditur cotidie meditados mane plurimos versus
 80 dictare solitus ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen se more ursae parere dicens et lambendo demum effingere [cf. *Gell.* 17, 10, 2 sq.]. Aeneida prosa prius oratione formatam digestamque in XII libros particulatim componere instituit, prout liberet quid-
 85 que, et nihil in ordinem arripiens. ac ne quid impetum moreretur, quaedam imperfecta transmisit, alia levissimis versibus veluti fulsit, quos per iocum pro tibicinibus interponi aiebat ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent. bucolica triennio, georgica VII, Aeneida XI perfecit
 90 annis. bucolica eo successu edidit, ut in scaena quoque per cantores crebro pronuntiarentur. georgica reverso post Actiacam victoriam Augusto atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti, per continuum quadriduum legit, suscipiente Maecenate legendi vicem, quotiens interpellaretur ipse
 95 vocis offensione. pronuntiabat autem cum suavitate, cum lenociniis miris. ac Seneca tradidit Iulium Montanum poetam solitum dicere, involaturum se Vergilio quaedam, si et

78 georgicam
 scribens mane plurimos versus dictabat (*K*, distabat *C*), sed tota die retractando ad paucissimos redigebat more ursae se parere versus dicens et lambendo effingere.